c disijcit & dissoluit. Præsens remedium est aphthis & ulceribus in ore serpentibus. Decoctum eius tumoribus illitum eos dissipat. Vsus etiam eius ad intertrigines, ulcera pudendorum, & intestinorum exulcerationes prodest.

DE CANNABE▸ CAP▸ CXLVII▸

NOMINA.

KANNABIΣ Græcis, Cannabis Latinis, Barbaris & uulgo Canapus dicitur, Germanis autem Hanff.

GENERA.

κοινόσπορον. Cannabis duo sunt genera. Vna enim satiua est, quam Græci κοινοσπόρον, quod magni in uita usus sit ad robustissimos funes texendos. Germanis zamer Hanff dicitur. Altera syluestris, quam Latini Terminalem uocant, Germani wilden Hanff.

FORMA.

Satiua Cannabis Syluestris. Satiua Cannabis folia fert fraxino similia, grauis odoris, caules longos, inanesq́, semen rotundum. Syluestris uerò uirgas fundit Altheæ similes, nigriores, asperiores & minores, cubitali altitudine. Folia satiuæ similia, asperiora & nigriora. Flores subrubeos, Lychnidi similes. Semen & radicem Altheæ similia. Eius effigiem uidere nobis nondum licuit.

LOCVS.

Satiua, in locis cultis sata prouenit. Syluestris in syluis & asperis locis, Apuleioq́ teste, iuxta semitas & sepes nascitur.

TEMPVS.

Herba ad usus medicos carpitur dum maxime uiret. Semen autem eius, Plinio
D autore, cum maturum est, id quod prope autumni æquinoctium accidit.

TEMPERAMENTVM.

Admodum calefacit & exiccat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Satiuæ maiori copia sumptum genituram extinguit. Ex uiridi autem succus expressus, contra aurium dolores utiliter instillatur. Syluestris radix decocta illitaq́, inflammationes mitigat. Tumores discutit, & callos disijcit. Huius cortex texendis funibus utilis est.

EX GALENO.

Cannabis semen flatus extinguit, adeoq́ desiccat, ut si plusculum edatur genituram exiccet. Sunt qui ex uiridi succum exprimentes, ad aurium dolores ab obstructione, ut mihi uidetur, natos utuntur. Semen etiam cannabinum difficulter concoquitur, stomacho & capiti aduersatur, prauosq́ humores creat. Admodum excalfacit, ideoq́ caput æstuoso ac medicamentoso halitu sursum misso tentat.

EX PLINIO.

Semen Cannabis extinguere genituram uirorum dicitur. Succus ex eo uermiculos aurium, & quodcunq́ animal intrauerit, ejicit, sed cum dolore capitis. Tantaq́ uis ei est, ut aquæ infusa, coagulare dicatur, & ideo iumentorum aluo succurrit pota in aqua. Radix cõtractos articulos emollit in aqua cocta. Item podagras & similes impetus. Ambustis cruda illinitur, sed sæpius mutatur priusquam arescat.

EX SYMEONE SETHI.

Semẽ Cannabis comestum idem nocumentum quod Coriandrũ affert: immodicè enim si estur, ut illud, deliriũ facit. Folia uero arida pota, ueluti farina, aut magis pro potione hæc farina exiccata, ebrietatem quandam hospitalem facit, & quæ ab hauriente non sentiatur. Apud Arabas enim pinsitur, subigitúrue pro uino, & inebriat. Desiccat uerò semen genitale ut Caphura.

APPEN-

CANNABIS
SATIVA.